

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

13. Feminæ, cur in suo sexu sint resurrecturæ?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

quasi hominem perfectum vellet producere, feminam pro parte producens errauit, corrigendus erit utique error ille in beatitudine, ne saltem ex hac parte miseri sit. Denique ad quid erit diversitas sexus, si in resurrectione negantur, neque nubentur? Hæc pro ista sententia afferri possunt.

Sed luculentus, & in sexum femineum valde iniurius est error, dicere, vel credere, feminas in suo sexu non resurrecturas. Cuius è diametro contrarium, contra errores Ioannis Hierosolymitani, expressè Sanctus Augustinus, Tertullianus, S. Hieronymus, D. Thomas, & alij scholastici communiter tradiderunt. Augustini verba sunt: Melius sapere videntur, qui utrumq; sexum resurrecturum esse non dubitant. Utique enim Deus, quod in homine fecit, cum primò eum conderet, id in resurrectione quoque reparabit. Quia igitur masculum & feminam creavit eos, initio mundi; in resurrectione quoque masculum & feminam reproducit. Adde, quod tunc, ut idem numero corpus resurgat, necesse sit, præcipua saltem accidentia, & easdem conditiones individuantes restaurari, inter quas non minima est, sexus certus, & determinatus. Quare diuersis, diuersus sua natura debetur sexus. Quæ ipsa diuersitas ad speciei perfectionem pertinet. Ita enim illius diuersi gradus per diuersitatem sexus impletur. Quo semel statuto, facile est, ad argumenta obiecta respondere.

1. Igitur cum Apostolus ait, nos in perfectum virum occursum, id non ob sexum ait virilem, sed ab animi virtutem, quæ tam in mulieribus; quam in viris tunc erit. Quare per virum, hominem intellexit, sicut David, quando dixit: Beatus vir, qui &c. ubi utique feminas non exclusit. 2. Hieronymus, Basilius, Hilarius, Athanasius alijsq; Patres, magni fane sunt authores, cum negant, in calo sole sexuum diuersitatem, tantum negant eam diuersitatem fore, quoad usum, non autem quoad substantiam. Quia in resurrectione neque nubent, neque nubentur. S. Thomas clare est pro nobis. Scotus, si in sexu femineo agnoscer imperfectionem, atq; idcirco reliquas feminas putat in viros commutandas; cur eam imperfectionem soli Deipara attribuit? quæ, ut in hac vita virtute omnium perfectis

XIII.

S. August. lib.  
22. de civit.  
c. 17. & seqq.  
Tertullian.  
lib. de refur-  
rect. cap. 60.  
S. Hieron. ep,  
61 ad Pam-  
machium.  
S. Thom. in  
supl. q. 81 a. 3.  
Scholastici in  
4. d. 44.  
Gen. 1. 27.

XIV.

Psal. 1. 1.

Matth. 22. 30.

B b b b b z

perfectis